


4/96

KALENDIBVS NOVEMBRI BV S
MCMXCVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 19

FASC. 115

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn


Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!



Autumni regnum nunc coepisse ex multis rebus apparet, velut ex imagine photographica, quam in sinistra parte huius scripti videtis: Illae tres anates non in aqua, sed in lacu foliorum, quae tempestatibus autumnii saevientibus de arboribus deciderunt, natare videntur.

Autumno etiam uvae leguntur et torculara premuntur ad vinum faciendum. Ecce fabula Graecorum ad haec apta narrans, quomodo vinum in Atticam terram primum introductum sit: Dionysus (vel Bacchus) deus ad homines profectus est, ut suavitatem et iucunditatem suorum fructuum ostenderet. Ad Icarium, agricolam Atticum, et Erigonem, eius filiam, venit et ab eis hospitaliter acceptus est. Deus gratias referens Icarium artem vitium culturae docuit et ei nonnullos utres vini plenos dedit, ut homines rusticos delectaret et eorum amorem vini commoveret. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia et Maera cane in silvas apud Marathonem sub Pentelico monte sitas ad pastores vicinos se contulit et eis novam potionem ostendit. Pastores vinum cum aqua non miscentes et immoderatus bibentes ebrii facti sunt et omnia duplicata videntes conciderunt. Quia Icarium sibi malum medicamentum dedisse et se potione venenata magicaque

currupisse putaverunt, fustibus eum necaverunt. Tum eum sub abiete infoderunt. Erigone filia patrem quaerens diu per regionem vagabatur. Postremo Maera canis ei sepulcrum Icarium monstravit. Ibi Erigone desperatione capta in arbore se suspendit. Antea autem deos imploravit, ut filiae Atheniensium idem paterentur, dum Icarium inultus est. Maera maerore afflicta in puteum se praecipitavit. Pastores autem trans mare fugerunt.

Dionysus deus propter facinus pastorum iratus filias Atheniensium insania affecit, ut multae earum in abietibus se suspenderent. Tandem Athenienses Delphis oraculum consuluerunt, quid esset faciendum, et responsum eis datum est omnia facta esse, quod mortem Icarium et Erigones neglexissent. Tum Athenienses pastores investigaverunt et poena eos afficientes suspenderunt. Temporibus vindemiae diem festum oscillationis instituerunt, quo die puellae in parvis tabulis funibus in arboribus suspensis stantes oscillaverunt. In vindemia autem de frugibus Icarium et Erigonae primum libabant. Qui Dionysi dei voluntate in astrorum numerum relati sunt: Erigone signum est Virginis, Icarium Arcturus vel Bootes in sideribus est dictus, Maera canis autem Canicula vel Sirius.

Praeterea, amicae et amici, mementote nostri argumenti, quod in libello 2/96 proposuimus! (Pro memoria: Argumentum propositum est "Nuntii ex mundo pelliculae"). Symbolae nonnullae, sed nondum multae, adhuc nobis missae sunt, plures nobis non modo gratissimae erunt, sed pluribus nobis etiam opus est! Nolite ergo nos deserere, sed opera vestra nobis, quaesumus, mittatis, quae in libello proximo divulgare possimus!

Valete!



Daniel Weissmann



Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum Hispanicorum et Latinoamericanorum in Latinum versae!

Sólo temo a mis enemigos, cuando empiezan a tener razón.

Jacinto Benavente (1866-1954)

Inimicos meos nihil timeo, nisi recte dicere incipiunt.

*

Un padre sirve para dejar que te equivoques y ayudarte después.

Daniel Muciga (*1967)

Officium patris est sinere te errores committere et postea tibi adesse.

*

El hombre, no los dioses, es el peor enemigo del hombre; para protegarse de él mismo los inventan.

Antonio Gala (*1936)

Inimicus pessimus hominis homo est, non dei; ut se ipsos ab eo protegant, deos inveniunt.

*

No hay nada más triste que el escritor sometido al dictado del político.

Octavio Paz, Mexicanus (*1914)

Est nihil tristius quam scriptor politicis subiectus.

*

Nada que no sea verdad puede ser de veras poético.

Miguel de Unamuno (1864-1936)

Nihil, quod non est verum, re vera poeticum esse potest.

*

Archivo de lo pasado, lucimiento del presente y único consuelo de la vejez, la memoria es el don más preciado y maravilloso de la vida.

Santiago Ramón y Cajal (1852-1934)

Animi tabularium praeteritorum, splendor praesentium, unicum solacium senectutis - memoria pretiosissimum et pulcherrimum vitae donum est.

In Latinum vertit Daniel Weissmann




ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
3/96	63, titulum	decocore	decoctore

De signis in rupes incisis

Heus, heus amicae amique, properate in pagum Helvetiae, qui Ticinensis (vulgo: Ticino) dicitur! Museum illius regionis nomine 'Centovalli' hoc anno singularem expositionem praebet. Monstrat signa in saxa rupesque incisa. Sunt incisiones crucum, canalium, aliorum signorum parvorum, quae praeter vias semitasque inveniuntur. Significationem signorum persaepe ignoramus.



Saxum canalibus ornatum prope Avegno situm

Incisiones eius speciei in omnibus terris videntur. Temporibus antiquissimis homines ad signa incidenda lapidibus postea acuminibus e metallo factis usi sunt. Cur signa ea fecerunt? Verisimile est homines cum numinibus communicare voluisse. Magnus numerus signorum ad paganitatem pertinent. Concilium illud, quod in urbe Francogallica nomine 'Namnetes' (vulgo: Nantes) septimo p. Chr. n. saeculo factum est, vetat Christianos saxa in silvis saltibusque sita sacrificiis venerari candelisque ornare. Res eae enim diaboli illecebrae putabantur. Cum in Valle Camonica in rupibus

figurae hominum bestiarumque appareant, in regione supra nominata multas figuras geometricas videmus. Saepe inveniuntur in locis excelsis vel praeter semitas, quae e planitie ad montes ascendunt. Nomina velut 'Sass pagan' (saxum paganum) aut 'Sass diavol' (saxum diaboli) nobis tradita sunt. Quaedam saxa ornata sane opera artificiosa sunt, velut 'Sass di cent cros' (saxum centum crucum) prope vicos nomine 'Tenero-Contra' situm. Ducentae cruces modo



Saxum centum crucum (Sass di cent cros)

Graecorum in saxum incisae sunt. In monte Pianost prope vicum nomine 'Avegno' saxum canalibus parvis exornatum est. II, qui expositione, de qua supra diximus, gaudent, gaudebunt quoque libro nuper edito, cuius titulus est 'Archeologia rupestre nella Svizzera italiana'. Auctor eius libri Franco Bianda est.

Barbara Maier



De lunae defectione

Fortasse nuper defectionem lunae spectare potuistis. Sane aspectus singularis erat. Luna deficiens enim colorem subrubrum habuit, autumnus colori similem. Nos lunae defec-

tionem libenter adspicimus. Antiquis temporibus autem homines eam ut triste prodigium saepe timebant. Tamen vir Romanus nomine Sulpicius Gallus, tribunus militum, doctum se praestitit. Exercitus Romanus Paulo Aemilio duce Macedonia ingressus erat, in qua Perseus rex adversus Romanos arma moverat. Iam duae acies in conspectu erant. Tum Sulpicius exercitum Romanum magno metu liberavit. Cum lunae defectionem nocte sequenti fore sciret, milites ad contionem vocavit et: "Nocte proxima", inquit, "ab hora secunda ad quartam luna deficiet. Nolite timere! Id naturali ordine et semper temporibus certis fit. Itaque defectio antea praedici potest." His verbis Sulpicius effecit, ut defectio Romanos non terreret. Macedones autem defectionem prodigium malum putaverunt.

Barbara Maier



Fabula de melodiis compositore nomine

Ludovico van Beethoven

In caupona mensae ad cenandum paratae sunt. Nonnulli convivae iam adsunt. Subito vir quidam vultu moroso cauponam intrat. Petasum in mensam iacit, assidit et statim chartam atramentariumque e vestitus sinu depromit. Tum assidue scribere incipit. Puer cauponius obstupefactus viro appropinquat et: "Quid velis", inquit, "bone vir?" Homo: "Nihil", inquit, "noli me turbare!" Caupona convivarum iam plena est. Melodiarum compositor nihil curans melodias parva voce cantat. Tum unus e convivis virum agnoscens: "Ecce, Beethoven", inquit, "qui notas scribit. Quietem ei date!" Horae praetereunt. Paulatim omnes convivae cauponam reliquerunt. Beethoven



autem notas scribere pergit. Tandem chartam atramentarium-que capit et puerum cauponium quaerit. "Quid", inquit, "tibi debeo?" Puer subridens: "Nihil", inquit, "domine, nam cibum non cepisti." Beethoven: "Bene dicis, puer." Tum petasum sibi imponit, benigne salutatur et caupona exit.



MORTES

Rafael Kubelik

Barbara Maier

Rafael Kubelik, ille clarissimus moderator musicorum (1) origine Tzetchica (tschechisch), die 11^o mensis Augusti anno 1996^o in urbe Helvetica Lucerna 82 annos natus defunctus est.



Rafael Kubelik die 29^o mensis Iunii anno 1914^o in oppido Tzetchico nomine 'Bychorie' natus est, filius celebris violonistae Jan Kubelik. Etiam filius musicae incubuit et Pragae (Prag) primum artes violonistae et componistae discere coepit, denique autem arti moderatoris musicorum studuit.

Iam anno 1934^o Orchestram Philharmonicam Tzetchicam primum moderatus est. Tum, 1942-1948, moderator princeps

eius orchestrae fuit. Anno 1948^o, cum regimen communisticum civitatem regere inciperet, Rafael Kubelik rerum politicarum causa e patria emigravit et primum Londinii, tum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis (vulgo: USA) versatus est. Anno 1953^o tandem in Helvetia ad Lacum Quattuor Pagorum, apud Lucernam urbem, domicilium collocavit. Quae terra altera patria eius facta est (ex anno 1967^o etiam de iure civis Helvetiae fuit).

1950-1953 Orchestram Symphonicam in urbe Americae Septentrionalis nomine 'Chicago' (Chicago Symphony Orchestra) moderatus est; 1955-1958 Londinii director musicus in theatro melodramatico nomine 'Covent Garden' et 1973-1974 Novi

Eboraci (New York) director musicus generalis in theatro nomine 'Metropolitan Opera' fuit.

Munus maximum autem Rafael Kubelik Monachii (München) in Bavaria invenit: 1961-1979 Orchestram Symphonicam Radio-phoniae Bavaricae (Symphonieorchester des Bayerischen Rundfunks) moderatus est. Eam cooperationem feliciter actam esse e frequentibus concentibus musicis (2) communibus toto in mundo et e multis phonodiscis cognosci potest.

Ex anno 1948^o Rafael Kubelik pluries Lucernae in Hebdomadis Musicis Internationalibus Sollemnibus (Internationale Musikfestwochen) in publicum prodiit. 1982-1991 praeterea moderatores illorum sollemnium ludicrorum consiliis adiuvit.

1984^o Lucernae opera componistae Tzetchici Bohuslav Martinu maximo successu exhibuit (3). Ex anno 1985^o Rafael Kubelik doloribus umerorum, quibus a moderatione musicorum prohibebatur, coactus est munus moderatoris deponere. Sed anno 1990^o, regimine communistico finito et patria, quam maxime amabat et cuius etiam in exilio numquam oblitus erat, liberata Rafael Kubelik Pragae in ludicris sollemnibus musicis nomine 'Ver Pragense' (Prager Frühling) ultimum Philharmonicam Tzetchicam moderatus est et - quasi liberationem patriae celebrans - poema symphonica titulo 'Patria mea' a Friderico (Bedřich) Smetana compositum exhibuit.



Rafael Kubelik
Lucernae,
anno 1982

Rafael Kubelik et patriam amans et cosmopolita erat. Non solum musica, sed etiam res humanae, res politicae, historia ei intererant. Ante omnia autem libertas ei cordi erat. Dixisse fertur "Pax nasci non potest, nisi libertas rerum humanarum est." Et anno 1848°, si moderator princeps Philharmoniae Tzechicae Pragae mansisset, "aut in Sibiriam missus aut collaborator regiminis factus esset" (ut ipse dixit). Neutrum cupiens ergo patriam reliquit, sed imo in corde semper patriam vehementer amans: "Sentio me Tzechicum esse, musicum, hominem, qui pro natura propria Tzechica vivit."

Postea quoque Rafael Kubelik concessionem rerum sibi displicentium non fecit. Cum Monachii, qua in urbe 20 fere annos Orchestram Symphoniam Radiophoniae Bavaricae moderatus est, praeses ministrorum Franciscus Iosephus Struthocamelus (Franz Josef Strauss) se nimis potentem gereret, Rafael Kubelik indignans munus suum deposuit. Extrema politica sive sinistrae sive dexterarum partis ei odio erant. In concentibus musicis Kubelik maximo ardore et ingenio musico imbutus opera exhibuit, sed etiam maxima diligentia et severitate formam operum et fidem componistarum voluntatis observavit; ita animos audientium maxime commovit.

Scilicet Rafael(o) Kubelik componistae patriae suae velut Antonin Dvořák, Bedřich Smetana, Leoš Janaček, Bohuslav Martinu valde cordi erant, sed etiam celeberrimus interpres symphonicarum Gustav(i) Mahler, Anton(ii) Bruckner, operum Wolfgang(i) Amadei Mozart aliorumque componistarum fuit.

Imprimis de Gustav(o) Mahler, illo componista, qui nostro saeculo ineunte suas symphonias componens multum in futura tempora providit et suae aetati longe antecessit, et cuius opera propterea aequales saepe animis non comprehenderunt, immo contempserunt et detraxerunt, Rafael Kubelik optime meritus est, et - una cum collegis, moderatoribus musicorum velut Leonard(o) Bernstein vel Georg(o) Solti - inter primos fuit, qui renascentiam symphonicarum prophetarum Gustav(i) Mahler prima parte nostri saeculi neglectarum effecerunt.

Etiam ipse opera musica composuit, quae quidem non valde nota sunt: Dramata musica, symphonias, musicam choralem, musicam cameralem velut quadricina instrumentorum chordatorum.

Phonodiscis, etiamsi nonnumquam vigorem concentus musici vivi non adaequant, ars moderandi Rafael(i) Kubelik nobis servata est, et memoria hominum omnium musicam amantium ille musicus Tzechicus, homo amabilis et rerum humanarum peritus, mente nobilissima, et lepore benignitateque et severitate auctoritateque animi, multum tempus manebit et vivet.

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:

- | | |
|-----------------------------|---------------------------------------------------------------------------------|
| 1 moderator musicorum | Dirigent/chef d'orchestre/directore d'orchestra/director de orchestra/conductor |
| 2 concentus musicus, -us -i | Konzert/concert/concerto/concierto/concert |
| 3 exhibeo, -ui 2 | aufführen/exécuter/eseguire/ejecutar/to perform |



SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 2/96:

1	2	3	4	5
I	N	D	I	A
2	N	U	R	U
3	D	R	U	S
4	I	U	S	A
5	A	S	I	A

- magna terra in oriente sita
- uxor filii
- privignus Augusti imperatoris (Gen.)
- aequa vel proba
- provincia Romana (Acc.)

Daniel Weissmann



De deo Germanorum nomine Wotan

Haud ignoratis non solum Romanos, sed etiam Germanos, adversarios eorum, multos deos coluisse. Quorum unus Wotan nominatur. Arx illius dei supra mundum in loco Walhallae aedificata est.



Ibi Wotan, summus deus, regnat. Omnibus deis hominibusque praeest. In umeris dei duo corvi sedent, qui cottidie ad terram mittuntur. Corvi redientes de rebus in ter-

ra actis referunt. Wotan praecipue bellorum deus est. Cum usquam bellum geritur, Wotan filias suas ad exercitus hostiles mittit. Filiae in equis igneis per auras vehuntur. Heroes mortuos equis imponunt et ad Walhallam ducunt. Quo loco heroes cottidie certaminibus exercentur. Dei enim aeterni non sunt. Aliquando domini tenebrarum deos aggredientur. Pugna inter bonos et malos terribilis erit. Et malum vincet. Tenebrae deos oppriment. Postea autem mundus novus fiet. Erit pulchrior integriorque priore mundo.

Barbara Maier



Cicero iocatur

Cicero adeo dicax iocosusque erat, ut ab inimicis 'Scurra consularis' appellaretur. Cum Lentulum generum suum, hominem parvae staturae, gladio longo accinctum vidisset: "Quis", inquit, "generum meum ad gladium alligavit?". Matrona quaedam simulabat se iuniorem esse quam erat et dicebat se triginta annos natam esse. Tum Cicero: "Verum est", inquit, "nam hoc iam viginti annos audio."

Barbara Maier


Calvus ab amico Catullo invicem ludificatus

Exspirasse animam tuum Catullum credebas, vitiosa lectitare postquam contigerat die Decembris festo carmina quae, sceleste, misti (1). Crimen ne sine linqueretur istud poena, qua ratione te valerem ulcisci studui diutius; tum conducta est, puero sagaciore misso taetra per urbis angiporta, cena vespere cognita in taberna, in qua ludere dulce, Calve, nobis. Nec vero mora fit: statim eleganter vestiri properas, et advehuntur lecticae tremulae tui sodalis Cinnae; vadere teque gestientem veloces famuli gradu citato cauponam ante vehunt: at - o novam rem! - non cernis socium vafre malignum, tortorem at scholicum superbiorem Sullam, a quo iuvenes cati fugantur sermones recinente, cum poeta diris versiculis quidem exsecrando Suffeno; neque causa ficta quae te illinc subtraheret reperta mox est; quin immo alterius malam poesin, praecepta alterius molestiora audisti furibundus impotenter. Nemini esse ideo nocendum, amice, scito: quas toleravit est in orbe nullus immemor insolentiarum.

- 1) Ut quarto decimo libelli carmine aperte significatur, Saturnalia ludificandi consuetudine Calvus maligne abusus erat, ut amicus Catullus collectanea inficetorum poetarum opera iniucundi ridiculique loco muneris acciperet. Ibidem legimus Veronensi in animo fuisse vati ut sole vixdum orto iustam meritamque ab amico ultionem exacturus eiusdemmodi cacatas coemeret chartas, quas Calvo scilicet donaret. Nos autem - imaginationis sit

venia licentiae - Catullum aliam excogitantem vindictam finximus atque induximus, hendecasyllabos adhibentes illos, quibus tam crebro ac frequenter Catullus ipse nugans est usus.

Orestes Carbonero



Dicta factaque veterum

Optimo iure meritoque Marcus Tullius Cicero, filius Marci Tullii Ciceronis Helviaetque, quaesivit, si in genere humano mens, ratio, honestas insint, unde denique ea in terram potuerint defluere, nisi ad summam a dis immortalibus.

Marcus Tullius Cicero Romam quoque viros sicut Polyclitum Sicyonium (450-410 a.Chr.n.), sculptorem fabrumque aerarium, et Parrhasium Ephesium, filium Euenoris, pictorem, habituram fuisse, si Romani artibus eundem honorem tribuisent, quem Graeci, et eodem tempore linguam Latinam etiam locupletiores esse quam Graecam censet.

Quisquis autem libros Marci Tullii Ciceronis oculos sedulo percurrerit, haud difficulter reperire poterit, quanti ille Platonem, filium Aristonis Perictionaeque, cui olim in cunis dormienti apes in labellis consedissee dicuntur, quasi quendam deum omnium philosophorum fecerit duxeritque, quem sibi instar milium esse ipse dixit.

Epicurus Samius (342-270 a.Chr.n.), filius Neoclis Chaerestrataeque, conditor scholae Epicureae, quem ipsum voluptatibus deditum non fuisse inter omnes constat, negavit vehementer iucunde posse vivi, nisi cum virtute viveretur.

Aristoteles Stagirites, filius Nicomachi medici, coniux Pythiae uxoris, pater Nicomachi filii, philosophus ille clarissimus praeclarum illud Platonicum constanter tenuit, omnes artes habere quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri, idemque hoc summum assecutus est, ut totum litterarum orbem non solum mente et cogitatione, verum etiam scriptione complecteretur.

Socrates nihil mali censet esse in morte, in qua, si sensus resideret, potius immortalitas quam mors ea ducenda esset.

Plato Atheniensis voluptatem escam malorum existimavit, quod homines ea capiuntur ut pisces hamo.

Eresius Tyrtanus (372-287 a.Chr.n.), qui ab Aristotele Theophrastus nominatus est, Athenis in urbe Graeciae moriens accusasse naturam dicitur, quod nempe cervis atque cornicibus, quorum id nihil interesset, vitam tam diuturnam, hominibus autem, quorum maxime plurimumque interfuisset, tam exiguam dedisset vitam. Et recte fortunae malignitate quaeritur pars maior hominum, quod in tam breve vitae spatium nascamur tempusque concessum tam cito decurrat.

Posidonius Apamensis (135-50 a.Chr.n.) ille Stoicus censuit a terra ad lunam esse vicies centena milia stadium, inde ad solem quinquagies centena milia stadium (stadium = 190 m).

Mimnermus poeta Colophonius, filius Ligyrtyadis, qui tibiis scite cecinisse dicitur, amore Nannus tibicinae ardentem vehementerque incensus a nomine Nanno eius appellavit duos illos libros elegiarum, quibus et brevitatem florentis aetatis et molestias senectutis amore vacuae vehementer lamentatus est.

Isocrates (436-338 a.Chr.n.), filius Theodori Hedytonisque, orator ille clarissimus, octoginta iam septem annos natus, se a nullo unquam iniuriae aut contumeliae arcessitum seu reum factum esse dixit.

Ut Aeschines, filius Atrometi Glaucosaeque, Demosthenis, filii Demosthenis Cleobulaeque, orationes lucernam oleumque

redolere dixit, ita nos orationes ab ipso in Demosthenem habitas malitiam calumniamque olere dicimus.

Milo Crotoniates, athleta ille celeberrimus, qui ab anno 540° sexies victoria in ludis Pythiis atque Olympiis potitus est, gener Pythagorae Samii, coniux Myiae Pythagorae filiae, pater Arignotae filiae Damonisque filii, ludis Olympiis bovem quattuor annorum per stadium tulisse atque uno die violenta fame comedisse narratur.

Et quam robusto corpore Milo athleta fuerit, ex eo haud difficulter cognoscitur, quod, cum quondam columna conclavis, in quo Pythagoras socer eiusque auditores cenare solebant, collabefieri coepisset, illam tergo fulsit, dum ceteri conclave relinquerent, deinde ipse tam caute se recepit, ut incolumis discederet. Itaque dictum est: Potest taurum tollere, qui vitulum sustulerit.

Atheas Scythus, filius Scylis, Philippo Macedoni scripsit verba haec: 'Tu rex clarissimus imperas Macedonibus, qui bellare didicerunt, egomet autem impero Scythis, qui etiam cum fame sitique certare possunt.' Atheas nonaginta annos natus tandem in proelio cecidit.

Si quis vestrum dubitat, maneatne homines potentissimos ac nobilissimos maxima interdum miseria, is cogitet Polycratem, tyrannum illum Samium, filium Aeacis, cui fortuna diu mirum quantum favisset, tandem a satrapa Oroeta Persa anno 522° Magnesia ad Maeandrum in crucem sublatum turpissime perisse.

Maharbal Poenus, filius Himilconis, pugna Cannensi peracta, "Non eidem profecto", inquit, "dii omnia dederunt. Vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis."

Marcus Porcius Cato Censorius maior (234-149 a.Chr.n.) a quibusdam interrogatus, cur ignobilibus et obscuris hominibus statuae ponerentur, ipsi autem non ponerentur, "Ego", inquit, "malo quaeri, cur nulla sit Catoni statua posita, quam cur posita."

AMICUS

Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. Nomen mulierum
2. Odor bonus vel condimentum
3. Flos quidam (Acc.)
4. Non dulcia
5. Instrumenta ad incendia exstinguenda (Acc. pl.)

Daniel Weissmann



Nota hiemalis

Squalidi rami vacuique nidi,
vosque, lugentes gelidive rivi,
veritas una est: hiemis dolentis
estis imago.

Me sed haec vastae simulacra mortis
territant numquam neque taetra tangunt:
solus inter res hominesque cerno
ver rediturum.

Iosephus Tusiani



De invalidorum legione

In bellis, ut iam antea affirmavimus, inter tot horribilia etiam accidunt, quae potius risum quam fletum excitant.

Bello inter Civitates Gesto Americano multi viri septentrionales minus cupidi pugnandi erant quam plerique meridianorum. Meridiani enim patriam dilectam contra invasores defenderunt, septentrionales autem saepe nesciebant, cur bellum gererent. Dictum quidem eis erat contra servitum pugnam gerendam esse, sed aliis talis bellandi causa non satis digna erat, ut vitam in periculum mortis ducerent, alii vero ducibus suis non credebant.

Quomodo autem vir vel iuvenis septentrionalis vi ad arma vocatus bellum effugere potuit? Si satis dives erat, alium arcessivit, qui pro semetipso bellum participaret. Cui trecenti dollarii Americani erant solvendi. Quisquis autem tantam pecuniae summam - neque parva erat illis temporibus! - non habuit, nullo modo effugere potuit nisi a medico aegrotus vel vulneratus declaratus. Itaque multi milites inviti ultimam spem in medico posuerunt.

Sed etiam erant, quos medicus domum mitteret, quamvis libentissime milites fieri vellent. Quod in civitatibus septentrionalibus multo plures homines vivebant quam in meridianis, copia militum futurorum tanta erat, ut medici non, quicumque voluissent, in militiam acciperent. Tali de tirone reiecto narrat carmen subsequens:

Versio Anglica

1. I wanted much to go to war
and went to be examined,
the surgeon looked me o'er and o'er
my back and chest he hammer'd.
He said: "You 're not the man for me,
your lungs are much affected,
and likewise both your eyes are cocked
ant otherwise defected."

Chorus:

So now I'm with the invalids
and cannot go and fight, Sir.

The doctor told me so, you know,
of course it must be right, Sir.

2. While I was there a host of chaps
for reasons were exempted:
Old Percy, he was laid aside,
to pass he had attempted.
The doctor said: "I do not like
your corporosity, Sir,
you'll breed a famine in the camp
wherever you might be, Sir."

Chorus

3. There came a fellow mighty tall,
a knock-kneel over growner.
The doctor said: "I ain't got time
to take and look you over."
Next came along a little chap
who was 'bout two feet nothing.
The doctor said: "You'd better go
and tell your marm you're coming."

Chorus

4. Some had the ticerdoleos,
some what they call brown critters,
and some were lank an lazy, too,
some were to fond of bitters,
some had cork legs and some one eye
with backs deformed and crooked.
I'll bet you'd laugh until you cry
to see how cute they looked.

Versio Latina

1. Legatum nuper adii
percupidus pugnandi,
sed perscrutatus medicus
est causa me spectandi.
Tractato mihi malleo
tunc ille ridens dixit:
"Es nimis aeger, domum i!"
Et alium iam fixit.

Verba repetenda:

Sic inter nunc invalidos
sum nec pugnare possum.
A medico hoc dictum est:
Nil nisi fractum os sum.

2. Praesente me permulti sunt
militia exclusi:

Obesum quendam retinent
militibus et usu.
Cui doctor: "Nimis crassus es,
et valde est timendum,
ne fame quisque pereat,
cui tecum sit vadendum."

Verba repetenda

3. Accurrit se longurio
doctori ostenturus.

Qui: "Mihi non sat temporis
est, ut te sim visurus."
Et adfuit pusillus vir
vix quinque pedes altus.
Ad eum doctor: "Valet nil
infantis tuus saltus."

Verba repetenda

4. Sunt, stomacho qui aegri sint,
sunt caeci atque muti,
et vini nimis cupidi
sunt, quibus nequis uti.
Curvatis sum cum cruribus
et tergis conversatis.
Rideres, etsi flendum est,
figuris his spectatis.

Martin Meier

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse
accipiam (Ich abonniere RVMOR
VARIVS für mich selber)

_____ <-----

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM
ei, cuius inscriptio cursualis
supra indicata est (Ich abonniere
RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement
für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist:)
Factura subnotationis mittenda est
ad inscriptionem cursualem infra
indicatam (Die Abonnementsrechnung
ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

